



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

119. An habere simul duo curata in titulum adversetur juri divino & natruæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

causa, continere aliquam turpitudinem contra jus naturæ, non nisi ex iustitia causa abstergendum.

Quæstio 119. An habere simul duo curata in titulum adversetur juri divino & naturæ?

Respondeo affirmativè: Hurt. loc. cit. subresol. 15. nu. 1. dicens, id omnino certum, & regulam infallibilem; quia de jure divino singula requirunt residentiam: unde, nisi subsit iustissima ratio, quæ hanc turpitudinem evacuet totaliter, dispensatio pontificia nec valida est, nec dispensatus tutus in conscientia, fructusque suos non facit. Hurt. *ibid.* n. 2. etsi collatio secundi curati sit valida juxta dicta sepe de collatione secundi sufficientis facta sine sufficiente causâ. Less. *de justit. c. 34. n. 152.* cum aliis ibi cit. Non est tamen ita intrinsecè malum, quin in certis circumstantiis sit licitum & bonum, adeoque non est strictè contra jus naturæ, qualia sunt illa quæ in nullis circumstantiis licent. Pirh. *de prob. n. 183.*

Quæstio 120. An, & à quo in hoc dispensari possit?

Respondeo: posse in hoc à Papa, & quidem solo dispensari. Pirh. *de prob. n. 182.* citans Laym. *Theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 8. n. 9.* Less. *de justit. l. 2. c. 34. nu. 149.* Garc. p. 11. c. 5. n. 337. Azor. p. 2. l. 6. c. 12. q. 1. nam licet non residere in curato, & habere duo curata absque iustissima causâ sit irrationabile, & juri naturæ repugnans, & hinc meritò statutum & consuetudo, ut ordinariè conferri possint duæ dignitates, vel duo curata, damnanda sit, tanquam noxia Ecclesiæ, & bonis moribus contraria, non tamen id fieri maximè per auctoritatem Superioris, nimirum Papæ dispensantis ex justa causâ, & peculiaribus circumstantiis honestantibus, & turpitudinem illam evacuantibus in casibus subinde occurrentibus est amplius irrationabile, & contra legem naturæ. Quemadmodum Pirh. *ibid.* ex Laym. in c. 1. de consuetud. nu. 4. licet non valeat consuetudo vel statutum, ut latronibus & homicidis vita donetur, si multam pecuniariam solvant, cum id, si ordinariè fiat, præbeat ansam gravibus injuriis & latrocinii exercendis: potest tamen, qui reip. præst. in certo casu tali latroni vitam condonare, & supplicium mortis in multam pecuniariam mutare. Quod autem id nemo alius possit præter Papam, satis constat ex textu c. dudum. de elect. & c. de multa. junctis Gloss. dum enim ibi dicitur: *in his, ubi ratio postulat, posse per sedem Apostolicam dispensari:* à contrario sensu patet, id non posse alium; dum, quod de uno conceditur, virtualiter de alio negetur. Atque ita licet olim seu jure antiquo poterat Episcopus dispensare, ut quis simul obtineret plura curata, ut patet ex c. 2. dist. 70. ubi dicitur: *licet Episcopi dispositione unus possit diversis præesse Ecclesiis &c.* id tamen per decretum Concilii Lateran. in c. de multa. postea eorundem fuit propter indiscretas Episcoporum dispensationes. Pirh. *de prob. n. 190.* juxta gl. fin. in cit. c. de multa.

Quæstio 121. An consuetudine induci possit, ut quis citra dispensationem obtineat plura curata in diversis Ecclesiis?

Respondet negativè Pirh. *de prob. nu. 141.* citans Abb. in c. extirpanda. de prob. n. 36. Rebuff. P. Leuren. Fori Benef. Tom. III.

in pr. cit. de dispensat. de non resident. n. 66. ed quoddam talis consuetudo nimis damnosa sit Ecclesiis & animabus, ideoque reprobata in c. de multa. Pirh. *ibid.* Quin & Trid. sess. 24. c. 12. talem consuetudinem etiam immemoriam sustulit, juxta Garc. p. 3. c. 2. n. 197. Covar. l. 3. var. resol. c. 13. n. 5. & 9. Less. l. 2. c. 34. nu. 163. apud Pirh. loc. cit. dum enim per legem damnatur consuetudo, ut damnosa, iniqua & irrationabilis (uti hæc damnatur) censetur damnata consuetudo quælibet etiam immemorialis. Unde tunc aliud non patebit effugium, quàm dicendo Trid. seu legem illam reprobativam hujus consuetudinis tanquam irrationabilis in iis Ecclesiis, ubi ea consuetudo adhuc dum viget, receptam non esse, ut Laym. *Theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 8. n. 11.* apud Pirh. quod ipsum tamen, seu hanc non receptionem non juvare ostendit Garc. n. 199. Illud omnino certum videtur, nullam consuetudinem induci posse, & nullam consuetudinem etiam immemoriam excusari posse, ut id fiat passim, & sine justa causâ, cum id juri divino repugnet, juxta dicta *question. præced.* Pirh. ex Laym. loc. cit. etsi is secus esse dicat; nimirum talem consuetudinem non residendi in curato, adeoque habendi eorum plura ex justa causâ non ita facile damnari posse. De cetero probabile esse, ait Pirh. citato Navar. l. 3. conf. 21. de Cleric. non resident. nu. 4. juncto conf. 24. de prob. quod per consuetudinem immemoriam induci possit, ut non requiratur residentia personalis in beneficiis curatis, sed per idoneum vicarium ea administrari possint; ed quod consuetudo immemorialis æquipollet privilegio, ut quidquid per privilegium Papæ obtineri potest, idem possit obtineri per consuetudinem; per privilegium autem & dispensationem Papæ ex justa causâ obtineri, ut quis non teneatur personaliter residere in dignitate aut beneficio curato, modò illud per vicarium ritè administratur, ut constat ex praxi; quin &, quod consuetudo immemorialis faciat præsumptionem dispensationis olim in hoc à Papa obtentæ; cum allegari tunc possit titulus optimus possibilis.

Quæstio 122. Quinam sint sufficientes causæ & causa, ut quis per dispensationem deobligetur à residendo in beneficiis acta & per se, seu principaliter curatis, adeoque possit eorum plura obtinere?

Respondeo primò: esse ferè easdem, ob quas supra dictum, posse alicui quandoque plura beneficia supra necessariam vitam necessitatem conferri: ac proinde, sicut ibi dictum, ita & hic dicendum, quod ad curata, reduci quoque eas posse ad Ecclesiæ necessitatem, vel magnam utilitatem. Ad primum spectat, dum quandoque uni Ecclesiæ duæ Parochiales conferuntur vel committuntur; quia clerici alii ad hoc idonei desunt. Azor. p. 2. l. 6. c. 10. q. 10. Item dum filiis principum conferuntur quandoque plures episcopatus, etiam ante aetatem; quia Ecclesiæ egent potente defensore contra hæreticos. Pirh. *de prob. n. 191.* Item dum Ecclesiæ curata, quia nullos aut exiguos proventus habent, ita ut proprios Sacerdotes alere non possint congruenter; possunt plures conferri, etiam citra dispensationem Papalem ex juris concessione, saltem accedente auctoritate Episcopi, juxta c. unio. 10. q. 3. ubi sic expressè de Ecclesiis Parochialibus: & c. eam te. de aetate & qualis. Hurt. de resident.